



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. III. Eadem decreta, juxta doctrinam D. Augustini, & S. Thomæ, in Deo  
esse admittenda, ostenditur,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)



Deo volitiones, seu decreta absoluta ex parte subjecti, & conditionata ex parte objecti, admittenda sunt. Major & Consequentia patent, Minor verò suadetur, Tum quia dictum illud Filij de futura exhibitione Angelorum probatur à Patre: Ergo verè illam volebat, quid enim est Deum aliquid velle, quàm illud reipsà sibi placere? Tum etiam, quia si possibile tantùm fuisset illud decretum de mittendis Angelis, voluntas Dei circa tale objectum, fuisset merè indifferentis & suspensa: Quomodo ergo certa & firma fuit exhibitio, & à Christo asserta ut indubitata? Cur enim vis effectum magis certò esse determinatum, quàm ipsammet causam? Ergo vel utrinque est suspensio & indifferentia, vel resolvenda est voluntas divina per actuale decretum.

32. Denique 4. Regum 13. dixit Eliseus ad Joam Regem Israël: *Si percussisses (supple jaculo) terram quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percussit eam.* Sed hujus futuri conditionati veritas non potest fundari in aliqua connexionem, seu ordine quem antecedens habeat ad consequens, cum sit de conditione omnino disparata: Ergo solùm potest fundari in decreto libero divinæ voluntatis, illa extrema connectentis, & statuentis devastare Syriam, ex hypothesi quòd Rex Israël toties jaculo terram percuteret.

33. Nec valet quod ait P. Annatus, eo loco non tam significari, quid homo ex hypothesi liberè faceret, quod potissimùm quæritur, quàm quid faceret ipse Deus; cum sensus sit, si percussisses quinquies terram, dedidisset tibi Deus vires ad percutiendam Syriam usque ad consumptionem. Non valet inquam: neque enim ibi quæritur solùm, quid Deus, sed etiam quid homo facturus sit, nempe, si percussisset septies, aut quinquies terram, sit hostes ad interuersionem deleturus. Unde Deus habet decreta conditionata, non solùm de his quæ tantùm à sua voluntate dependent, sed etiam de his quæ pendent à voluntate & libertate hominis.

§. III.

*Eadem decreta, juxta doctrinam D. Augustini, & S. Thomæ, in Deo esse admittenda, ostenditur.*

34. Non solùm ex Scriptura, sed etiam ex doctrina SS. Patrum, præsertim Augustini & Thomæ, probari potest, in Deo admittenda esse decreta absoluta ex parte subjecti, & conditionata ex parte objecti. In primis enim Augustinus locis disputatione sequenti referendis, expressè docet Deum talia futura in sua prædeterminatione seu decreto certò cognoscere: Sed non in decreto absoluto ex parte objecti, ut patet: Ergo solùm in decreto ex parte objecti conditionato. De quo fusè disputatione sequenti.

35. Secundò, D. Thomas in 1. dist. 46. quæst. 1. art. 1. ad 2. hæc scribit: *Voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem.* Sed voluntas antecedens est voluntas beneplaciti, ut docet idem S. Doctor quæst. 23. de verit. art. 3. in corp. his verbis: *Invenitur enim in Deo propriè ratio voluntatis: & sic voluntas de Deo propriè dicitur; & hæc est voluntas beneplaciti, quæ per*

Tom. 1.

A *antecedentem & consequentem distinguitur.* Ergo ex D. Thoma datur in Deo voluntas beneplaciti conditionata, ac proinde decretum subjective absolutum, & objective conditionatum.

Tertiò, Idem S. Doctor 1. p. quæst. 19. art. 7. ad 2. sic ait: *Multa sunt in virtute, & scientia, & voluntate divinæ, quæ non continentur sub ordine causarum inferiorum, sicut resuscitatio Lazari.* Vnde aliquis respiciens ad causas inferiores dicere poterat, *Lazarus non resurget: respiciens verò ad causam supremam divinam, poterat dicere, Lazarus resurget.* Et utrumque horum Deus vult, scilicet quòd aliquid quandoque sit futurum secundùm causam inferiorem; quòd tamen futurum non sit secundùm causam superiorem, vel è converso. Ex quo loco sic arguuntur. Secundùm D. Thomam, Deus vult aliquid quòd quandoque est futurum secundùm causam inferiorem, non tamen secundùm ordinem causæ superioris: Atqui illud quòd est futurum secundùm ordinem causarum inferiorum, non verò secundùm ordinem causæ superioris, est futurum conditionatè, quia scilicet esset, nisi Deus aliter ordinasset, propter rationes occultas sue providentiæ: Ergo ex D. Thoma dantur in Deo decreta conditionata ex parte objecti.

§. IV.

*Eadem veritas ratione suadetur.*

36. Plures etiam in ejusdem veritatis confirmationem rationes adduci possunt. Prima sic potest proponi: *Quæ non sunt ex se & ex sua natura connexa, non possunt infallibiliter connecti, nisi ab aliqua causa extrinseca & infallibili: Sed conversio Tyrionum v. g. non erat ex se & ex natura rei connexa cum prædicatione Christi, vel cum illis signis & virtutibus quæ Christus fecit apud Judæos, ut evidens est: Ergo non poterat infallibiliter connecti cum tali conditione, nisi ab aliqua causa extrinseca, illa extrema infallibiliter conjungente: Hæc autem non potest alia esse, vel concipi, quàm voluntas divina, quæ posita tali conditione, decreverat dare Tyrionis gratiam efficacem, per quam infallibiliter simul & liberè, ad fidem converterentur; voluntas enim creata, cum de se sit causa fallibilis & contingens, non potest ex se esse causa certa & infallibilis talis connexionis, sed solùm prout subest efficaci Dei decreto & auxilio, eam ad agendum applicante & determinante: Ergo &c.*

D Confirmatur: *Quando conditionalis non est vera in vi illationis, non potest esse vera absolute, nisi in vi alicujus causæ extrinsece, quæ infallibiliter ponat consequens, posito antecedente, ut docent Dialectici in summulis: Sed in istis propositionibus conditionalibus de futuro contingenti, quas Deus in Scriptura revelavit: Si percussisses terram quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem. 4. Reg. 13. Si custodierint filij tui legem meam, sedebunt super Thronum tuum usque in sempiternum. 3. Regum 9. Si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, in cilio & cinere penitentiam egissent. Matth. 11. Antecedens non continet causam certam & infallibilem Consequentis; cum conditionata illa sint disparata, & effectus contingens nullam habeat connexionem ex natura rei cum conditione: ut patet in illa percussione terræ, quæ nullum ex natura rei nexum habebat cum devastatione Syriæ, & vi-*

N 9